



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia  
Sacra**

**Montmorency, François de**

**Antverpiae, 1638**

Dominus illuminatio mea. Psal. 26.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

PSALMVS XXVI.  
TITVLVS

*\* In Hebraeo  
desunt haec  
verba, pri-  
usquam li-  
niretur: sed  
addiderunt  
illa inter-  
pretes Se-  
ptuaginta  
in versione  
Graeca, &  
retinuit  
Vulgata  
lectio.*

Psalmus Dauid \* priusquam liniretur.

**D**ominus illuminatio mea, & salus  
mea, quem timebo?

Dominus protector vitae meae, à quo tre-  
pidabo?

Dum appropiant super me nocentes, vi-  
edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infir-  
mati sunt & ceciderunt.

## ARGUMENTVM.

Hymnum hunc DAVID ante Aram gratu-  
labundus cecinit, vnctus recenter à SA-  
MVELE.

Strophe 2.

**D**um me presidio tuo  
Prestas insuperabilem  
Pater alme lucis,  
Ego quid timebo?  
Dum me fontibus hostium  
Telis impenetrabili  
Clypeo tueris,  
Ego cur pauebo?  
Tibi, Sospitator,  
Inimica cedit  
Acies retusa;  
Qua mea sitientior  
Cedis, exitialibus  
Caput hoc laceffit  
Usque sagittis.

Antistrophe.

En repente cadit retrò  
Qui me cominùs vrserat  
Propiore ferro  
Metuendus hostis;  
Abiectâ malè parmula  
Et pilo, muliebriter

Medi-

Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.

Si exurgat aduersum me praelium, in hoc ego sperabo.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:

Meditatur antri  
 Latebram subire,  
 Simul ac trifulcum  
 Valido lacerto  
 Iacularis ignem  
 Flammeis simul ac tonas  
 Bigis, per liquidum tuo  
 Opifer Davidi  
 Aethera vectus.

## Epodus.

Non, si castra Sochoteum  
 Palestina tegant agrum in-  
 numeris quadrigis,  
 Animo monebor.  
 Non, si centimanus gigas  
 Indicat mihi praelium  
 Maceda sub urbem,  
 Genibus fatiscam.  
 Nam Victoria candido  
 Viset me pede; cui comes  
 Volet esse pleno  
 Copia cornu.

## Strophe β.

Partâ Pace, quid ampliùs  
 A te, Rex Superùm, petam?  
 Aliudne malim  
 Mihi provenire  
 Tuâ quàm tegar ut domo?

R

Tuo

Vt videam voluptatem Domini, & vis-

\* Allegori-tem \* templum eius.

*cè hîc intel-  
ligendum  
est tem-  
plum Dei  
caeleste.*

Quoniam abscondit me in tabernaculo  
suo: in die malorum protexit me in abscon-  
dito tabernaculi sui.

In petra exaltauit me: & nunc exaltaui  
caput meum super inimicos meos.

\* Solenne  
erat, hym-  
nos ante  
Dei aram  
decantare.

\* Circuiui, & immolauit in tabernaculo eius  
hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum  
dicam Domino.

Exaudi

Tua quàm laquearibus  
 Ut agam sub adis,  
 Vbi nuncupata  
 Tibi, stante bello  
 Dubijsque rebus,  
 Mea vota soluam?

Inter linigeros ubi  
 Mystas, albus & ipse, te  
 Venerer Sabæi  
 Thuris acerrâ?

Antistrophe.

Hic alto fruor otio:  
 Sedes hac adamantina  
 Erit instar arcis,  
 Ubi delitescam.

Non securior undique  
 Prærupto scopulo Tyrus  
 Pelagoque fedit.  
 Tibi nempe fido,  
 Moderator orbis:  
 Ab ouilibus tu  
 Mihi sublenato

Permutas diademate  
 Pastorale pedum: sacro  
 Mihi verticem tu  
 Tingis oliuo.

Epodus.

Verbenis age pinguibus  
 Hac altaria cingito.

R 2

Age

Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui  
ad te : miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisiuit te faciem  
meam : faciem tuam Domine requiram.

Ne auertas faciem tuam à me : ne declina-  
nes in ira à seruo tuo.

Adiutor meus esto : ne derelinquas me,  
neque despicias me Deus salutaris meus.

Quo-

Age ritè Sacris  
 Operans minister  
 Flores quare mihi rosa:  
 Caput sutilibus rosis  
 Redimitus, aram  
 Volo circumire:

Deo munus idoneum  
 Meo carmina Vindici  
 Volo grandiore  
 Reddere voce.

Strophe γ.

Linguis turba faue, nouam  
 Oden dum Superis cano:  
 Nec enim bidentis  
 Cruor immolata

Illis gratior accidit,  
 Blanda quàm fidibus Lyra  
 Modulatus Hymnus.  
 Deus! hoc benignâ  
 Bibe carmen aure:  
 Hilariq̃ue semper  
 Mihi fronte fulge;

Vt nitet medio die,  
 Ut Sol nubila discutit  
 Radiorum acuto  
 Verbere victor.

Antistrophe.

Si presens tua suscipit  
 Me Tutela, nihil moror

R 3 Ope

*\* Id est, ope  
parentum  
destituor.*

Quoniam pater meus & mater mea <sup>\*</sup>dere-  
liquerunt me: Dominus autem assumpsit me.  
Legem pone mihi Domine in via tua: &  
dirige me in semitam rectam propter inimi-  
cos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium  
me: quoniam infurrexerunt in me testes ini-  
qui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini in terra vi-  
uentium.

*\* Ex mu-  
tatione per-  
sona, agno-  
scuntur hac  
esse Dei  
verba con-  
solantis  
Davidem.*

Expecta <sup>\*</sup>Dominum, viriliter age: &  
confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Ope quòd parentis  
 Vtriusque frauder.  
 Rumpantur licet inuidi,  
 Ringantur licet improbi,  
 Decus ad supremum  
 Mihi prouolanti  
 Dabis, institutum  
 Iter expedito  
 Superare gressu.  
 Donec auspicijs tuis  
 Beatos adeam locos,  
 Vbi sempiterno  
 Viuitur aeo.

Epodus.

Spes certas refero domum.  
 Allabens mihi nam Deus  
 Geminâ Cherubi  
 Famulantis alâ,  
 Clarâ luce ter adstitit;  
 Clarâ voce ter, anxio  
 Mihi sic locutus:  
 Quid inane rerum  
 Te, dilecte mihi puer,  
 Turbat? euge viriliter  
 Mihi mente totâ  
 Semper adhere.